

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4590

Auteur(s) : Avranches (official)

Bénéficiaire(s) : Pierre Thebaut [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, 19 octobre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'official d'Avranches fait savoir que l'abbé de Montmorel et le procureur des chanoines de ladite abbaye ont reconnu avoir cédé en fief et à titre héréditaire à Pierre Thebaut un tènement sis à la paroisse de Saint-Martin de Saint-James de Beuvron.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCLXXXIV, p. 271-272.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris officialis Abrincensis salutem in Domino. Noveritis quod in jure coram nobis constitutis viro religioso abbate Montis Morelli et Juhello de Monte Morelli, clerico, procuratore conventus ejusdem loci, ex una parte, et Petro Thebaut, ex altera, dicti abbas et procurator recognoverunt se tradidisse et concessisse in feodum et perpetuam hereditatem dicto Petro quoddam tenementum situm in parrochia Sancti Martini de Sancto Jacobo de Bevron, quod quidem tenementum quondam tenuit Johannes de Cupis, tenendum, habendum et possidendum dictum tenementum dicto Petro et ejus heredibus seu ab eo causam habentibus, in perpetuam hereditatem libere, pacifice et quiete, reddendo exinde dictis religiosis annuatim quindecim solidos Turonensium, quam quidem pecunie summam dictus Petrus promisit et obligavit se dictis religiosis soluturum singulis annis ad festum Sancti Remigii de cetero, in perpetuum, pro dicto tenemento, promittens et obligans se dictum tenementum in bono statu tenere et in dicto tenemento edificare et illud meliorare in tantum quod dicti religiosi vel eorum mandatum super dicto tenemento, pro dicto reddito suo, libere valeant suam justiciam exercere, volens expresse ut ad hoc per nos, si opus fuerit, compellatur, obligans ad hoc dictis religiosis se, heredes suos et omnia et singula bona sua mobilia et immobilia presentia et futura specialiter et expresse adeo quod dictum tenementum vel eciam aliquod de bonis suis non distrahet seu alienabit vel debitis honerabit quin, ipsi vel eorum mandatum possint super dicto tenemento suam justiciam pro dicto reddito exercere et quin dicta bona dictis religiosis pro premissis remaneant obligata, renoncians exceptioni confessionis facte sine causa, privilegio crucis sumpte et assumende, doli mali et instrumenti et omnibus aliis exceptionibus facti et juris per quas effectus presentium posset in aliquo retardari. De quibus premissis omnibus et singulis firmiter tenendis et fideliter adimplendis dictus Petrus coram nobis spontaneus corporale prestitit sacramentum. Et nos ipsum presentem et consentientem ad premissa adimplenda in scriptis condempnamus. Actum anno Domini M CC LXX quinto, die sabbati post festum Sancti Luce evangeliste.